

**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, & Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De nomine, & definitione Sacramenti in communi, & qualiter Sacraenta nouæ legis à Sacramentis legis antiquæ differant. punct. 1

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)



TRACTATVS XVIII.

E T

DISPVVTATIO VNICA, DE SACRAMENTIS IN COMMVN.

HAC TERTIA PARTE NOSTRI OPERIS MORALIS ABSOLVEMVS
explicationem illorum, quae religionis virtutis annectuntur. Hac sunt sacramenta, ecclesiasticae
que Censure, indulgentie, & libilae præcipue in Bulla, que Cuciata vocatur concessa. Sed
antequam sacramenta in specie explicemus, expedit enodare, quae omnibus sacramentis
communia sunt, sicut fecit D. Thom. 3. p. à q. 60. usque ad 66. quem eius commentatores
sequuntur.

DE NOMINE ET DEFINITIONE SACRAMENTI IN COMMVN. Et qualiter sacramenta nouæ legis à sacramentis legis antiquæ differant.

P V N C T V M I.

1. *Sacramenti nomen expenditur.*
2. *Definitur sacramentum, qualiter in presenti usurpatur.*
Explicatur definitio.
3. *Ad sacramenti rationem debet esse signum permanens.*
4. *Dicit esse signum practicum aliquius sanctitatis.*
5. *Qualiter sacramentum à sacrificio differat.*
6. *Explicatur differeniam sacramentorum nouæ legis à sacramentis legis antiquæ, & specialiter à sacramento circumcisionis.*
7. *Ratio sacramenti uniuoca est sacramentis legis nouæ, & antiquæ ex parte significacionis, analoga tamen ex parte rei immediatae significata.*

SI nomen sacramenti spectemus, sacramentum à facto ducitur, variisque acceptiones habet. Duæ sunt potissimum apud veteres, profanisque auctores testimoniis Ambii, Calepino, verbo sacramentum. Prima est, quæ significatur pecunia apud Pontificem in loco facto deposita à litigib[us] ea conditione, ut à causa caderet, pecuniam amittere avario publico applicandam. Sic Varro. lib. 4. de lingua Latina. Secunda significat iuramentum, vel quod iuramento fumatum est, teste Feste, & Vgerto de militari. lib. 2. & in hac significazione passim vñpatum sacramentum in iure canonico, & ciuili, ut constat ex cap. si sacramenta. 22. q. 4. & Aut. sacramenta puberum. od. si aduersus C. vendit. Verum apud Ecclesiasticos Doctores sacramentum idem est, ac apud Græcos mysterium, ut constat ex illo Iob. 12. n. 7. Dan. 2. num. 30. Apocal. 17. num. 7. vbi Hieron. sacramentum vocat, quod apud Græcos mysterium est appellatum. Mysterium apud Græcos est idem, quod sacramentum sacerdotum, ut constat ex illo Sapientia 2. Nescierunt sacramentum Dei. Ad Ephes. 5. Vi notum faceret sacramentum voluntatis sua & i. ad Timoth. 3. Magnum est pietatis sacramentum. Hinc factum est ut sacramentum vocetur res, seu Fer. de Castro Sum. Mor. Pars IV.

verba oculum quid diuinum, & supernaturale, quo quis Deo
sacratur significantia, ut latius prolegitur Belarm. lib. 1. de
Sacram. cap. 8. Sacrat. t. 3. in 3. p. q. 60. in prefat. Aegid. de Conin-
ch. ibi art. 1. Paul. Laymann. lib. 5. sum. trah. 1. Gregor. Sayr. t. 1.
de Sacram. lib. 1. cap. 1. art. 1.
2. sacramentum in hac posteriori acceptione sumitur in
presenti, & sic sumptum definitur à Magistro sentent. in 4.
diss. 1. & à D. Thom. 3. p. q. 60. art. 2. & 3. quos reliqui Do-
ctores sequuntur, ut sic visibile signum gratia ad populum Dei
sanctificandum divinitus institutum. Dicitur visibile signum,
quia sensibus corporis percipitur, ut dixit D. Tho. q. 60. art. 4.
Debet autem esse signum visibile, quia alias non esset homini-
bus accommodatum ad Deum colendum, & se sanctificandum,
si illud sensibus percipere non possent. At est signum invisibilis
gratia, quia gratia sacramentis significata corporis sensi-
bus non videtur. Deinde est signum ad populum Dei sanctifi-
candum, quia ad hunc effectum sunt sacramenta per se, & di-
recte instituta, ob quam cauam à solo Deo institui potuerunt,
quia solus Deus gratiam cauare potest, & consequenter signum
practicum gratiae constitueret. scilicet Doctores communiter.
3. Superest explicari, quale signum ad rationem Sacra-
menti requiratur. Et quidem requiri signum permanens, seu
permanenter significans apud omnes Doctores receptum est,
eo quod assumatur, ut medium ad Deum colendum, & po-
pulum Dei sanctificandum, & distinguendum ab aliis nationibus falsis Deos colentibus, quod fieri nequaquam potest
signo transiente, nec moraliter pro statu aliquo durante.
Item verba illa Christi, quibus Magdalena dixit, remittuntur
tibi peccata: & quibus apostolis dictum est Ioann. 20. Acci-
pite spiritum sanctorum, lingua ignita super capita discipulo-
rum die pentecostes apparet, sacramentum essent: quia
hac omnia sunt signum visibile invisibilis gratia: sed quia
non sunt signa stabilitas, & firma sed transiuncta, ea de caula à
ratione sacramenti excluduntur, ita docet. Stuar. 3. p. q. 60.
fod. 3. concl. 3. Paul. Layman. lib. 5. trah. 1. cap. 2. in fine. Coninc.
quasi. 60. art. 4. dub. 1. num. 21.
4. Sed an necessarium debeat esse signum practicum? Aliquis
Doctribus non infima noræ placet sufficere esse signum
speculativum, eo quod sacramenta vetera vera sacramenta
fuerint, & tamen gratiam sanctificantem non continebant,
sed solum significabant dandam per Christum. Verum eti de
ratione sacramenti non sit esse signum practicum gratia
sanctificantis, est tamen necessarium esse signum practicum
aliquius gratia, seu sanctitatis legalis; & signum specula-
tivum gratia habitualis perfecte sanctificantis, quia de ra-

A tione.

tione Sacramenti est recipientem sanctificare , cum ad sanctificandum populum institutum sit , ac proinde debet esse signum practicum aliquius sanctitatis saltem legalis. At opus non est esse signum practicum gratiae perfectae , tametsi illam significet , quia non est signum practicum cuiuscumque rei significatae. Significat enim Sacramentum Passionem Christi Domini , & futuram gloriam , non tamen illa caufare. Et ita sufficunt Suar. 13. in 3. p. q. 60. disp. 1. sest. 2. conil. 1. & 3. Egid. de Coninc. q. 60. art. 2. dub. 1.

5. Hinc colliges discrimen Sacramenti à sacrificio : nam esto sacrificium Passionem Christi Domini significet , populumque sanctificet , quia tamen per se & immediate institutum non est ad sanctificandum populum , sed ad Deum collendum eius supremi dominij , & excellentiae recognitione , ea de causa Sacramentum non est , hoc enim immediate , & per se ad sanctificandum populum est institutum. Sic Paul. Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 2.

6. Secundum colliges discrimen Sacramentorum nouae legis à Sacramentis veteris legis. Nam Sacramenta nouae legis non solum significare gratiam perfectè sanctificantem , quæ vocatur gratia habitualis , sed illam caufant , vt est definitum à Trident. sest. 7. can. 8. At Sacramenta veteris legis omnes conuenient solam sanctitatem legalem caufare , rametsi gratiam perfectè sanctificantem significarent , sicut definuit Concilium Florentin. in decreto Eugeny pof. sest. vlt. 5. s. eccl. offic. Sacramenta ibi Sacramenta nouae legis multum differunt à Sacramentis antiquæ legis : illa enim non caufabant gratiam , sed illam solum per passionem Christi dandam esse figurabant. Hæc verò nostra , & continent gratiam & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Solum de circumcisione est dubium qualiter à Sacramentis nouae legis distinguitur , siquidem ad eius præsentiam peccatum originale remittebatur ex diuina institutione , vt dicitur cap. ex quo infinita , de consecrat. disp. 4. cuius remissio esse non poterat sine gratia infinita. Est igitur circumcisione gratia sanctificantis causa saltem moralis , non igitur distinguere potest à Sacramentis nouae legis nisi in modo caufandi gratiam , eo quod Sacramenta nouae legis sunt causa physice instrumentalis gratiae , circumcisione vero sit solum causa moralis , seu conditio , qua posita ex liberalitate Dei gratia concedebatur : sic sufficer Suar. alias relatio . t. 3. in 3. par. q. 62. disp. 9. sest. 1. & 2. Henrig. lib. 1. ca. 6. num. 1. neque improbabile reputat Bonac. alias relatio de Sacram. disp. 19. q. 1. p. 3. §. unico. num. 5. Sed nul latentes placet hic modus dicendi , cum quia satis dubium est , & à pluribus Doctribus reprobatum Sacramenta nouae legis physicas esse causas gratiae. Tum quia sèpè Paulus circumcisionem appellari inane , infirmumque elementum , vt dixit de ipsa circumcisione , aliique ceremonias legalibus. Ad Galat. 4. & ad Galat. 6. inquit. Neque circumcisione aliquid valeret , neque præputium , sed noua creatura. At si circumcisioni annexa esset ex diuina promissione gratia iustificans plurimum valeret , falsumque esset esse inane , vacuum , & infirmum elementum. Non igitur circumcisione vi sua gratiam caufare poterat. Refrat ergo , vt solum ex fide Christi venturi , quam parentes circumcisisti , seu minister circumcisioni illo exteriori signo profitebatur , remissum fuerit peccatum , & gratia iustificans concessa. Alias si ex circumcisione vnu , & quasi ex opere ipso facto remissio peccati , & gratia infuso fieret à sacramento baptismi substantialiter non distinguenter , sed solum penes magis & minus , siquidem aquæ ab baptismis remittit peccatum , & gratiam infundit : quod autem baptismus vberiorem gratiam concedat , & peccatum non solum quodculpam , sed etiam quod peccatum integrè delectat , differentiam substantialiter non constituit , sed solum accidentale. Affirmare autem circumcisionem à baptismi non substantialiter differere , videtur esse contra Paul. ad Coloss. 2. ex excellente baptisma , illumque circumcisioni preferente , cum dixerit de his , qui baptizati erant. Circumcisus estis circumcisione non manu facta in exploitatione corporis carnis , sed circumcisione Christi consueta in baptismi , quasi diceret , baptismi non spoliatur caro , sicut siebat in circumcisione antiquæ , sed spoliatur spiritus à peccato ; ac proinde differunt baptismus , & circumcisione substantialiter ex sententia Pauli , siquidem vi sua baptismus spiritum à peccato mundat , circumcisione autem vi sua solam carnem , spiritum autem non mundat , nisi ex fide , quam parentes circumcisisti , vel minister circumcisionis eo signo profitebatur. Deinde si baptismus à circumcisione non differret substantialiter , sed solum penes magis & minus , verum efficiere dicere , sacramenta nouae legis non differre à sacramentis legis antiquæ nisi quia sunt diversi ritus , & ceremonia , quod est contra Trident. sest. 7. can. 2. dicens. Si quis dixerit sacramenta nouae legis à sacramentis legis antiquæ non differre , nisi quia ceremonia sunt alia , & alijs ritus exteriores , anathema sit. Senit ergo concilium inter nostra , & antiqua sacramenta differentiam substantialiter esse , quæ esse non posset , si sacramenta antiquæ legis vi sua , & ex opere operato , ut vocant , gratiam iustificantem caufarent. Affirmant

dum ergo est nullum sacramentum antiquæ legis vi sua gratiæ iustificantem caufare. Et ita sustinet D. Thom. 3. p. q. 62. art. 5. in corp. & ad 3. Sors in 4. disp. 1. q. 4. art. 6. Valsq. 1. 2. t. 2. disp. 18. 4. c. 2. Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 13. & seqq. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 1. cap. 3. per totum. Egid. de Coninch. q. 62. art. 6.

Hinc dubitan Doctores , an ratio sacramenti vniuoca sit , analoga , vel æquiuoca sacramentis nouæ & veteris legis ? Responde breuer vniuocam absoluere esse , quia ratio sacramenti præcipue sumitur ex parte rei significantis , & ex modo significandi , potius quam ex re significanda. At in re significante , & in modo significandi vniuocæ sacramenta antiquæ & noua conuenient , liquidem omnia sunt ritus , & ceremoniaæ sensibiles , omnique ex diuina institutione significant , tamen ex parte rei immediate significatae analogicae , seu æquiuocæ conuenient , eò quod sanctitas legalis cum sanctitate iustificatione comparata inferioris ordinis sit , & solum secundum quid sanctitas dici possit. Sic Suar. t. 3. in 3. p. q. 60. disp. 1. sest. 2. vers. atque hinc intelligitur. Egid. de Coninch. dicta q. 60. art. 4. dub. 2. Bellarm. de sacram. lib. 1. cap. 12. Bonac. alias relatio de sacram. disp. 1. q. p. 3. n. 12.

P V N C T V M I I.

An Sacramenta necessaria sunt ad salutem ?

1. Absolutæ necessaria non sunt , bene tamen possit Dei institutione.
2. In statu naturæ , & legis veteris sacramentum institutum in remedium peccati originalis necessarium fuit necessitate precepti.
3. In lege gratia sacramenta à Christo instituta necessaria sunt , tum necessitate precepti , tum necessitate medijs , sed non omnia.

Certum est Sacramenta non esse ita ad salutem necessaria , quin potuerit Deus illis non institutis gratiam , & gloriam hominibus concedere. Non enim diuina potentia ita limitata est , quin alii mediis potuerit homines ad gloriam euhære , etiam supposito statu naturæ lapla , sicuti explicuit D. Thom. q. 61. per totam. Henrig. lib. 1. cap. 4. Bellarm. lib. 1. cap. 22. Bonac. disp. 1. q. 1. p. 3. Quare solum est controversia , an facta institutione , tum in lege naturæ , & scripta , tum in lege noua sunt necessaria ? Item an sunt necessaria necessitate precepti , vel etiam necessitate medijs ? Necessarium necessitate precepti tantum est illud , quando non tam ipsum opus preceptum , quam ipsa præcepti execratio necessaria ad salutem est. Quare si ob ignorantiam , vel impotentiam ab exequenda re precepta excluderis , non obinde salutem amitteres. E contra verò necessarium necessitate medijs est illud , cuius executio ad salutem necessaria est , ita ut sine illo salus obtinetri nequam posse , tametq; ob ignorantiam , vel impotentiam omissum fuerit.

2. Dicendum igitur est in statu naturæ , & legis veteris sacramentum institutum in remedium peccati originalis necessarium fuisse necessitate precepti , quia in lege naturæ , eto non est aliquod signum a Deo determinatum , quo fidem Christi venturi homines protestarentur , & à peccato originali mundarentur , tametq; plures Doctores , quos refert , & sequitur Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 3. contrarium sententiam affirmantes signum aliquod determinatum fruſſe , quod pro feminis in lege scripta , & pro paucis ante diem circumcisionis applicatur. At tenendum est remissionem peccati originalis protestationi fidei per signum saltem arbitrio cuiuscumque remissum , concepliisse esse , docuit Bellarm. lib. 1. de sacram. cap. 21. Suar. disp. 4. sest. 2. Egid. de Coninch. q. 61. art. 3. cum D. Thom. ibi. Quo posito conueniens fuit executionem illius signi præcepti. In lege autem veteri sacramentum circumcisionis necessarium fuit ex præcepto , vt constat ex illo Genet. 17. n. 14. Malculus , cuius præceptum caro circumcisione non fuerit delebitur , &c. Quod præceptum aduleros obligabat , infantes verò ante vnum rationis articuli illo non poterant , bene tamen eorum parentes , vt fuos filios circumcidarent. Nullum tamen sacramentum in lege naturæ , & veteri fuit necessarium necessitate medijs , siquidem nullum vi sua peccatum remitterebat , & gratiam concedebat.
3. Verum in lege gratia sacramenta à Christo Domino instituta necessaria sunt , tum necessitate præcepti , tum necessitate medijs , tametq; non omnia , ut exprestè definitum est à Trident. sest. 7. can. 4. Quæ autem hæc sunt commodiū explicabimus , cum de singulis sacramentis in particuliā agimus.

P V N C T.